

## OVATIO: JOHN TRAUPMAN

In versibus carminis popularis, aliquis sic laudatur: “Es tam mirabilis ut extra verba sis”. Et “Tam nimis es, tam dissimilis veri, ut semper absis ab libro Websteri”. Nunc verbis extraordinariis homo mirabilis, sed verus, et simillimus Websteri ipsissimo, laudatur.

Secutus in vestigiis huius Americani eruditissimi, scripsisti multos libros de significatu verborum: non solum verborum Anglicorum, sed etiam verborum Latinorum et Germanicorum.

Ut decet amatorem scientiae rerum antiquarum in terris sanctis, et ut ille faber tignarius quem celebrat nomen Academiae tuae, verus Nazarenus es. Ut fabricatrix quae suit primum—stellatum lineatumque—vexillum Americanum, es quoque verus alumnus Pennsylvaniae. Nam et ortus es, et domum idoneam diebus otiosis aedificas, in oppido huius civitatis quod sic appellatur causa loci in Sancta Terra honorandi. Educatus es autem in civitate probi praesidis, qui servos emancipavit et breviter facundequa oravit in hoc oppido ubi nunc convenimus. Patriae tuae servivisti tam decore quam hic praeses, in regione orientis solis cum prima legione equitatus.

Regressus in civitatem natalem, gradum Artium Baccalaurei adeptus es in Collegio Moraviano, sito in oppido Bethlehem. Gradus Magistri in Artibus et Doctoris Philosophiae autem adeptus es in Universitate insigni tigribus.

Sed consedisti in urbe amoris fraterni et sororii, ut Universitatem Sancti Josephi adornares. Paene quadraginta annos, ut Tullius noster dicat, in hac Academia fulsisti et sustinuisti studia classica re, fortuna, fide. Octo annos praeses eras Societatis Philadelphiensis. Functus omnibus officiis paene omnis consilii in hac Societate Classica Medioatlantica bis quotannis efficis ut conventus nostri sine impedimentis fiant, omnibus rebus dispositis et omnibus convenientibus contentis. Condidisti et multos annos ordinavisti vernas peregrinationes Europaeas auxilio discipulis linguarum, complens adusque septem naves aerias.

Honores recepisti ab eis qui gubernant et Italiam et Sanctam Terram. Nunc honoramus te, qui gubernavisti societatem nostram capacissime. Plaudemus igitur John Traupman.

a.d. V Kal. Mai. MCMXC Oppido Gettysburgensi, in Civitate Pennsylvaniae.

*University of Maryland  
CW 83.6 (1990)*

JUDITH P. HALLETT